

Wachner,  
Epistola  
de  
luxuriante  
huius aetatis  
eruditione.

1731





B 678



ANDREAE GEORGII  
VVAEHNERI

ILLVSTRIS GYMNASII GOETTINGENSIS  
CONRECTORIS

AD

VIRVM CLARISSIMVM IN PRIMISQVE ERVDITVM

AVGVSTINVM GABRIELEM  
GEHLIVM

CELEBERRIMI LVDI CELLENSIS  
NVPER CONRECTOREM FACTVM

EPISTOLA

IN QVA

DE LVXVRIANTE HVIVS AETATIS  
ERVDITIONE

NONNVLLA DISPVANTVR.


Epiēt. Enchir. Cap. LXVIII:

Μηδαμὲ σεαυτὸν ἔποις φιλόσοφον, μηδὲ λάλει τοπολὺ ἐν  
ιδιώταις περὶ τῶν θεωρημάτων.

GOETTINGAE,  
LITERIS HAGERI, MDCCXXXI.

Ad 12





**V**T primum TE, clarissime praestantissimeque GEHLI, Cellensis lycei Conrectorem faciendum cognoui; statim de TE laetatus, gratulatusque rei scholasticae sum. Quidni enim amico TIBI munus deferri gaudeam id, quod & summa cum laude sustinere poteris, & quo dignus iamdudum eras, & quo vir illustrissimus, idemque cum in omni genere studiorum, tum, quod rarissimum arbitror, in studiis humanitatis ac literarum versatissimus, prae ceteris TE dignum iudicavit. Munus, quod studiis tuis non repugnat, sed quo quidam quasi reditus datur ad ea, quibus maxime gaudes. Nec hoc quidem nihili faciendum, habitare in vrbe, & natura, & situ, & descriptione aedificiorum, & pulchritudine, & morum facilitate & humanitate incolarum in primis nobili. Vbi res tuae, studia, curae, labores, & diligentia, in conspectu sint virorum illustrium, aequorum aestimatorum & iudicum rerum; quod quanti sit, is prope solus, cui id felicitatis datum non est, minus certe ceteri intellexerint. Est enim eiusmodi, quod carendo magis intelligas, quam fruendo.

do. De re autem scholastica, cum multa sint, quae eam sustentare & possint & debeant, latissime patere videtur ea ratio, qua admirabili quadam & continua serie bonis doctoribus & peritis, cum studiis tum iudiciis similibus, illa vitur. Nihil autem vnum vni tam simile, tam par, mihi quidem esse videtur, quam GEHLIVS & beatus DELIVS; cuius, qui literis non vulgari- bus delectantur, inuiolate semper pieque memoriam serua- bunt.

Sed cum, quo meum TVI amorem testarer, statuerem aliquid hoc tempore ad TE scribere, id eligere argumentum volui maxime, quod & studiis nostris esset aptissimum, & iis, quos erudire vterque ad solidam cognitionem & scientiam cupimus, lectu vtilissimum. Conuenientius vero atque vtilius non aliud mihi visum est vllum, quam si *de luxuriante praesentis seculi eruditione* pau- cis exponerem. Quod quidem, vti oportebat & fieri poterat, sic persequi si vellem; modum excederem epistolae. Sed praecipua tantummodo capita attingenda mihi sumsi; quae dici poterant & acutius & aptius, & tuo permissurus iudicio, & aliorum.

Sunt adeo fertilia & feracia eorum, qui eruditi haberi vo- lunt, nostra tempora, vt de copia nos iam rectius conqueramur, quam de inopia quondam prisca. Vix pagus sit hodie, quin ha- beat suum vel eruditum, vel eruditos. Missos autem faciamus hos; quos in eruditorum haberi numero ne illi quidem volunt, qui, cum, qui non sunt, ii videri maxime velint, eruditionem sic in- stituunt, vt nihil fere habeat cum eruditione coniunctum; eo prio- ribus deteriores, quod horum culpa in ea inciderimus tempora, vt, quod rarum quondam esset eruditi nomen, ob eamque causam gloriosum, id effusum iam sit atque obsoletum. Satis mirari vix possis vastum scientiarum oceanum, in quo hi homines, non re- cta via ad portum tendunt, sed nescio quibus *κενοδοξίας*, ostenta- tionis, *πειρηγίας*, opinionum, contentionumque turbinibus huc  
A 2
illuc

illuc se rapi patiuntur. *Πανοφλας* iactantes, de eo, *quantum sit quod nesciant*, ne somniant quidem. In ea, quae hodie est librorum copia, si plagula vel vna publici iuris facta oculos suos notitiamue effugiat, indignissime ferunt; parum solliciti, de usu eorum, quibus legendis aut ipsi proficiant, aut ceteris lumen suo de lumine accendant. Bene viros de literis merentes libidine multa scriptitandi, non vere iudicandi de rebus facultate, metiuntur. Illos summis laudibus in coelum efferunt, eorumque *βιογραφίας* concinnandis mirifice delectantur. Hos negligunt, contemnunt, alto supercilio despiciunt, aut certe reos inertiae faciunt. Iam quid mirum, quos tantopere observant admiranturque, si eos sibi imitandos proponant? Perdidiſſe sibi videntur mensem eum, quo typographo suis inuentis, an somniis dicam, chartam commaculandi autores non fuerint. Adhibeas ad considerandam rem aliquam & tempus & diligentiam, scribere vero de ea ne audeas, veritus ne in quibusdam aut erres, aut decipiaris, aut non satis cognita pro cognitis habeas; proponas eandem his, quos dixi, hominibus; & breui librum habebis, si non veri inquisitione atque inuestigatione, at certe asserendi negandique temeritate suaque mole commendandum, ac potius notandum. Hi occultissima ceterisque ignota scrutantur, a tenebrisque vindicant. Tot huiuscemodi quaestiones novas, tot rerum, vel in minimo orbis terrarum angello, vel à priuatis, gestarum nuntios, & quae sunt generis eiusdem, num vnquam vidit antiquitas? Haecine est singularis aevi nostri felicitas? Est vero illa, quam dixi, hodiernae *eruditionis luxuries*. De qua quid sentiam, explicandum si sit, in mentem mihi venit Virgilianum illud:

*Quid qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,  
Luxuriam segetum tenera depascit in herba,  
Cum primum sulcos aequant sata?*

Agno-

Agnoscenda sane summi numinis prouidentia est, qua ita nobis prospexit, vt, à quibus disceremus, eos ex disitis arcessere regionibus opus non esset; quod veteribus discendi cupidis vsu venisse accepimus. Eruditos hoc quidem tempore quaeuis terra alit; atque vtinam solos eos, qui esse quam videri malint. Iam vero vix tantum rei literariae illi proderunt, quantum hos videmus obesse; illi vix fruunt, quod hi destruunt. Veri enim inquisitio eruditio esse si desinat, non amplius eruditio erit. Angustis admodum limitibus humana circumscripta cognitio est; cum nullos agnoscat veritas. Numeremus, quae, ex quo stetit orbis, virorum acute videntium inuestigauit consequutaque solertia est; mira erit paucitas. Si ea spectes, quae adhuc desiderantur, aut de quibus vix quidquam quasi longo interuallo interiecto videmus; quis quaeuo vel percurrat omnia cogitatione? Sed nec errare me confido, qui, quot cognititas habeamus veritates, quae iure suo appellari sic possint; tot earum autores statuam. Nec enim diei, vel etiam dierum aliquot, negotium est, sed multorum saepe annorum, quid in re aliqua verissimum indubitatumque sit, indagari. Quid? quod communis est illa laus inuestigandi sagacitati cum fortuna; quae, pro rerum temporisque circumstantiis, se non minus hic valuisse, quam inventoris solertiam, vere potest praedicare. Quare veritatem inuentam à se vnam nec *ex arbutis*, indignam reputabat Pythagoras; eam vero ita dignam, vt, si illam ignoremus, auroque vel argento redimi possit, nullum eius pondus, quod impendatur, nimis magnum fore iudicent periti. Addere ad inuenta, aliaque ex iis deriuare, facilius; nec tamen cuiusuis negotium est. Artis enim non minus est, alterius bene inuentis vti feliciter, quam, quae abscondita sunt, inuenire atque demonstrare. Verum enim vero & tempus, & studium, & solertiam, & ingenium, & in intimos quasi rerum recessus penetrandi facultatem, & omnium eo non pertinentium intermissionem requirere vtramque, ita extra omnem positum controuersiam est; vt, si quis aliter sentiat, pla-

ne illum, quid sit & inuenire res, & decenter demonstrare inuertas, ignorare, asserere ausim. Ita fiebat, vt prisca tractarent non multa; sed suo quisque studio delectati, ceteris in generibus non laborarent. Quod nisi fecissent, quo peruenire ii, quibus nostra pene omnia debemus, eo peruenturi profecto non erant. Quae cum ita sint, pluribus explicare, *παιδείας* nostros quanti faciam, nihil attinet. Vereor, vt, nimium agendo, nihil agant; nihil sane, quod e re sit & ipsorummet, & ceterorum. Nec quemquam latet illud: *in omnibus aliquid, & in toto nihil*; quod factum est iam tritum sermone prouerbium.

Apage sis igitur cum multorum huius aetatis supercilio, qui omnibus rebus & inter omnes excellere sibi videntur, & si quod forte sit genus, in quo fucum nobis facere nequeant, id contemnunt. Id qui sibi sumunt, quam curta sibi sit supellex, eo ipso maxime produnt. Nec auellanas vitis fert, nec uvas corylus. Neutri tamen id vitio dari vel potest, vel debet. Quidni igitur ducem naturam sequamur? Cuius à lege quo nos longius abduci patiemur, eo erimus errori propriores. Suum quisque noscere ingenium; & quas ad res aptissimus erit, in iis potissimum elaborare debet. Id qui egerit, vt eligat sibi studium, si non optimum, at certe accommodatissimum, in eoque aetatem consumat; vt iudicando, quam dicendo & scribendo plus valeat; vt denique non suam magis gloriam spectet, quam ad utilitatem communem omnia referat: nae ille vir & optimo cuique se probat viuum, & post fata hanc laudem meretur, qua excellentior mihi quidem alia nulla videtur:

*Non ponebat enim rumores ante salutem.*

*Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.*

Per omnia vero qui oberrant, variisque rebus distrahi animum patiuntur; nusquam pedem figere, nusquam de rebus suo vt iudicio possunt. Sunt itaque psittacorum instar; qui, quem sonum



num accipere, eundem reddunt. Sic hi etiam toti in legendo sunt; multa dicunt, plura scribunt, lecta, non intellecta. Sed intelligant sane, quae legunt, de quibusque alios sequuti interpretes differunt. Nondum ex eo, eruditos eos esse, efficitur. Misera enim haec eruditio est, si quis tantummodo, quid de re aliqua dici, quid scribi possit, quid de ea sentiant alii, qui libri prodierint, quibus autoribus, quoties & quibus locis impressi, cognouerit. Causas rerum qui videt, & cur aliquid ita sit, nec aliter esse possit, non ignorat; is demum eruditum se audeat dicere. At hodie non facile legas vel schedulam, in qua non alius laudetur, alius vituperetur, hic commendetur, illius explodatur sententia. Hoccine est latum de rebus iudicium? Est sane, si fit ab iis, qui, quid inter veritatem & opiniones interfit, intelligunt. Ceterorum autem, antequam ad scribendum temereque de rebus iudicandum se accingant, vtinam oculis semper obuersetur Ciceronianum illud vere philosophicum, sicut cetera: *Nam & ratione uti, atque oratione prudenter: & agere, quod agas, considerate: omnique in re quid sit veri, videre & tueri, decet: contraque falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, quam delirare, & mente esse captum.* Non autem tam est enitendum, vt id, quod decorum videri possit, sequamur; quam vt ea, quae minus decore fiunt, fugiamus.

Supereft vnum illud in hac re considerandum. Existere hoc loco possit quaedam quaestio subdificilis: an alia studia ceteris anteponenda, alia plane repudianda sint. Non aequae difficile responsum fuerit, ac poterat primo intuitu videri. Omnibus studiorum generibus proposita vtilitatis ratio esto; ita vt in solis iis, quae ad bene beateque viuendum necessaria sint, omnis opera curaque ponatur. Pluribus igitur propositis vtilibus, id, quod omnium vtilissimum sit, praeponendum esse, intelligitur. Attamen cetera quoque, si spem afferunt, fore, vt, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non sunt prorsus negli-

negligenda. Nimis autem magnum studium multamque operam in res pueriles, ludicras, frigidas, infulsas, nemo conferat; nisi aut *ματαιολογίας* reus haberi velit, aut tantae imprudentiae, ut, in quo vera eruditio sit posita, penitus ignoret.

A teneris asfuescere multum est. Si bene collocata adolescentia fuerit, viros aliquando habebimus & doctos, & eruditos, & rebus gerendis aptos, & probos, & honestos. Sin fuerit vel in nugis consumpta, vel in iis, quae nondum ad hanc aetatem pertinent, neglectis ceteris, in quibus exercenda quam maxime erat; poterimusne viros, qui constare sibi in vitae perpetuitate possint, expectare? Nam aut ad nullam partem utiles habebimus; aut hos, quos dixi, luxuriantes. Illi etsi minus fortasse utilitatis in rem publicam conferant; tamen minus ei, officiis simulatis, quam hi, officient. In eo igitur maxime a nostris peccatur, quod, quibus studiis minime oportebat, iis implicari adolescentes ante tempus & patiuntur, & volunt. Ex quo non potest non id incommodi oriri, ut quasi per transennam celerissime praetereuntes vix aspiciant id, in quo erat studium omne ponendum.

Cum ad humanitatis ac literarum studia abhinc duo secula redire coepissent nostri; in ludis, literarum officinis, id sibi maxime censebant faciendum, ut *linguarum, Latinae, Graecae & Ebraeae*, fierent quam peritissimi. Hoc opus, hic labor erat. Linguis cum factum esset satis; tum demum ad noua, ut *Logicam, ut Mathesin, ut Historiam, ut Geographiam, ut Theologiae rudimenta, & dicendi artem*, se accingebant. Cetera in academias differabantur. Studia enim non eadem disparibus aetatibus conuenire intelligebant, aliaque esse puerorum, alia iuuenum, alia seniorum. Omnium aetatum certum statuebant terminum; quem transilire nefas putabant. Neque eo minus inferiorum quoque ludorum subsellia prementes barbati tamdiu sibi discendum, quoad

quoad se, quantum proficerent, non poeniteret, existimauerunt. Nec ab ea literas tractandi ratione in academiis recedebant iuuenes. Vno in studio versabantur, nihil praeter suum negotium agentes, nihil de alio anquirentes, minimeque in alienis curiosi. Ex eo fiebat, vt singulis posita sua omnia in se ipsis essent; qui non alienis plumis, pauonum initar, superbirent. Habebat suos Latina lingua *Manutios*, Graeca *Neandros*, Ebraea *Edzardos*, Mathesis *Sturmios*, Philosophia *Thomastios*, Astronomia *Copernicos*, aliae disciplinae alios communes orbis literati praeceptores; quos hic enumerare instituti mei non est.

Paucis vero abhinc annis longe alia introducta ratio est; quae illa melior, an peior sit, penes prudentes esto iudicium. *Linguas* ex ludis propemodum exterminarunt; vtpote quae non nisi instrumenta eruditionis sint, non ipsa eruditio. Quis, quae so, *latine* scit, ad academi- am proficiscens? *Graeca* & *Ebraea* tuto ignorari posse creduntur. Aut sufficere certe clamant, si quis has linguas ita calleat, vt lexicorum versionumque ope persequi textum possit. *Res* volunt, *non verba*. In illis itaque tradendis qua ratione vtantur, age videamus. Nulla fere disciplina est, ad quam non pueri erudiantur. *Sola* plerisque locis *exulat Mathesis*. *Dicere* iubentur, qui & res, de quibus dicere possint, & apte ornateque dicere quid sit, nondum didicere. *Disputant* de rebus; & rerum, & iudicandi veritatemque eruendi artis ignarissimi. Hoc vastae, falsae tamen, eruditionis vento inflati iuuenes imberbes ad academias properant; ad veram eo vel maxime, quod se iam peruenisse existimant, aditum sibi praeccludentes. Sic ex ludis inferioribus academias facientes, vt academiae hae esse definant, efficimus. Nam aut respiscunt iuuenes, dissipatis nebulis, quae fuerant oculis offusae; aut placere sibi, *dominio suo* *Plac* sua, pergunt. Si illud, tum demum ad ea applicandum esse animum vident, quae antea tanto cum supercilio contemserant. Et hi saepe sunt, quorum hanc grauissimam iustissimamque querelam audire licet:

*O! mihi praeteritos reserat si Iupiter annos!*

Sin hoc; nec pares erunt audiendis praeceptis institutisque salutari-  
B
bus

bus doctorum vere eruditorum; nec adiumenti quidquam afferri posse rebus suis arbitrabuntur. Ac de peruerso quidem eorum, qui omnis generis eruditionis laudem se aliquando reportaturos sperant, in eligendis materiis, quas tractent, & in quibus versentur, iudicio dixi.

Aliud superuenit, altero si non atrocius, attamen non multo leuius malum. Displicent quippe multis nostrae aetatis hominibus, aut nouitatis pruritu, aut imprudentia in transuersum actis, multa à veteribus & sapientissime & summa cum diligentia excogitata, ad puerilemque institutionem accommodatissima; cum ipsis tamen ad meliorum rerum inuentionem aditus non pateat. Ne longior sim, quam opus est, non nisi vnum aliquod in medium proferam; quod cum immerito vulgo reici contendam, vereor ne exhibiter atque explodar. *Figuras & modos*, quos vocant, barbaraque dialecticorum vocabula: *Barbara, Celarent*, cetera, quis non maxime detestatur? vere aureum illud in gratiam τῶν νεωστὶ φιλοσοφούντων inuentum. Multa eiusmodi sunt, quae nullo suo merito, maximo vero iuuentutis detrimento, damnantur; quorum in locum meliora non sufficiuntur, nec suffici saepe possunt. Idem de *methodo*, qua res; idem de libris, ad quorum ductum eaedem vulgo proponuntur, dictum esse volo. Prolixius promittere recentiores, verius praestare antiquiores, plerumque reperiuntur. Quid autem immoderatum nouitatis studium, quid aliena pro suis venditandi iniusta libido, quid denique illepidae ad celandam ignorantiam inuentae artes non possunt? Sunt itaque hi fontes, ex quibus id oritur, quod rectiorem iuniorum institutionem impedit; ex cuius neglectu detestanda illa eruditionis luxuries pleno alueo deriuatur.

Iam in his, quae dicta sunt, latissime patet ea ratio, qua *salubris sinceraque institutio & eruditio* restitui posse videtur. Quae premeda nobis vestigia veteres reliquere, iis vero insistamus; ab iis nec latum vnguem, nisi magis compendiaris via, eademque semel iterumque ita explorata, vt & eodem propius ducat, & tuta, nec vllis latronum

num

num insidiis exposita fit, se ostendat, recedamus. Rebus delectemur  
 iisdem, quibus illos delectatos accepimus, id est, vtilissimis atque ve-  
 rissimis. Idemque facere adolescentes curae educationique nostrae  
 commissos assuefaciamus. *Linguae* ante omnia, praecipuum decus  
 suum, gymnasiis restituamus; quibus addiscendis aptissima iniens  
 aetas est. De *Latina* eiusque tuenda dignitate ipse TV, *Tullii progenies*  
*politissime* GEHLI, videris. Ego, vt excellere in ea pulcrum merito pu-  
 to, ita tantummodo, non multum profecisse maxime dedecere, mo-  
 nebo. *Graecam* quanti Romani fecerint, & qua de causa fecerint;  
 quanti eam etiam nunc **TECVM** faciant vere eruditi, quis nescit?  
 Excolendam eam vtique omnibus atque singulis esse, qui rite exer-  
 cere literarum studia volent, etsi doceri facili negotio poterat, volens  
 tamen eo labore supersedebo in praesentia. Sacra docere neminem  
 posse, nec cuipiam, nisi sit idem *Graecae & Ebraeae* linguarum peritissi-  
 mus, id vt faciat, concedi debere, plenissime demonstrabo.

Arduae & si quid in iis peccetur, periculi summi plenissimae, res  
 sacrae sunt. Ex his enim vnice omnis & praesentis & sequuturae vi-  
 tae salus pendet. Maxima igitur cum reuerentia, in tanta praesertim  
 partium dissensione, omnino sunt tractandae. Is autem verissime de  
 iis iudicare & praecipere putandus est, qui perfectissime res suas de-  
 monstrauerit. At *fide* hic opus est, non *demonstrationibus*. At vero cum  
 illa, tum his opus est. Credi deus vult sibi, minime vero hominibus.  
 Quot igitur vtiusque foederis volumina in se effata continent, toti-  
 dem nobis merito sunt *principia*, totidem *axiomata*. *Fontibus* autem  
 antiquioris foederis *Ebraeis*, recentiorisque *Graecis*, haurienda no-  
 bis omnia esse, haec constans nostrorum theologorum praeceptio  
 est, eademque verissima atque sanctissima. Si quae his non consen-  
 tanea vel nostratum aliqui docuerint, vel ii, qui alius sunt discipli-  
 nae, ea esse non admittenda, sed reiicienda, sed detestanda, quis non  
 intelligit? Iam vero quomodo ab impuris puriora discernentur, nisi  
*demonstrationibus*, rite factis ex sacri codicis enunciationibus? Faciat vero  
 has, si possit, linguarum *Ebraeae & Graecae* ignarus, aut qui ex lexicis  
 versionibusque tantummodo sapit. Satisfaciet scilicet aduersariis;

& sibi met ipse satisfaciet; principia & axiomata ignorans, quibus sua omnia superstruat. Quae cum ita sint, aut impares sacris docendis eiusmodi homines pronunciabimus, aut nobis nos ipsi non consentiemus. Sed satis de studio linguarum.

Iam de *disciplinis* quid fiet? Manebuntne eae in *lyceis inferioribus*, an migrabunt? Manere quidem possint eae, quae linguarum studium non impediuerint, sed pleniorē iudicandi artem effecerint. Tuto migrent ceterae, digniores sui cultores in *academiis* nacturae. Non minus sane peccaret mater, quae puero infanti grauiorem cibum in os inferere, quam quae filio adolescenti porrigere vbera vellet. Felices illos, qui, quid sit ordo, quid possit, in rebus tractandis qui modus, quid singulis tribuendum sit temporibus, quid aetatibus, quid locis, quid personis, intelligunt. Ergone vero pueris optimum subducemus pabulum? An solis vocabulis fatigabimus eos, qui, adultioribus celerius, res innumerabiles arripiant, artesque difficillimas discant? Minime vero otiosam aetatem ullam, & sine iusto labore, traduci volo. Puerili passu in literarum studiis procedendum illis non est. Non magis tamen ad nimis celerem cursum incitandi sunt adolescentes; ne aut neglecta intactaque necessaria post se relinquunt, aut offendentes alicubi concidant, aut in salebras incidant, in iisque, nullo dein regressu dato, haereant. Res paucae suffecerint, quibus *multum* adipiscantur, & ad cognoscendum, & ad dicendum, & ad iudicandum. Nonne rerum, quod satis est, *priscorum & latinorum & graecorum scriptorum libri*, sedulo legendi versandique *suppeditabunt*? Quas qui discipulis sollicitè non exposuerit, is, vt nec verba perspiciant, faciet. *Geographiam* igitur & *historiam, veterem* non minus quam *recentiorem*, primis annis, cum linguis inculcandam maximo opere esse, sapienter eruditione & doctrina praestantissimi viri praeceperunt; eo vero modo, eoque fine, vt, anilibus pulsis fabulis, nugis, tricis, ineptiisque, in vitae vtilitatem & philosophiam omne earum studium traducatur.

De ceteris vt paucis me expediam; quod *Ioanni Caselio*, summo viro,

viro, placebat, idem mihi quoque placet. Is in epistola ad filium: *Placet mihi, inquit, in sermone musis caro, & studio μαθημάτων; in utroque velim te progredi. Sine his nunquam penetrabis interiores literas.* In alia, ad Tilemannum Stellam, sequentem in modum scribit idem: *Saepe de artibus Mathematicis cogito, quam diuinae sint, & quam ab hominibus negligantur. Irascor etiam nonnihil, quod tuis non sim eruditus. Tibi vero, quod omnem in ipsas operam contuleris, opto fortunam sereniorum. Dignissimum profecto tanto viro iudicium; eoque dignius, quod, contra praesentis seculi genium, id, quod tamen ipse non didicisset, debitis laudibus ornaret. Singulis singulorum ludorum liminibus, meo quidem iudicio, inscribi debere id: οὐδὲν ἀγαπᾷ ἕτερον εἶσι τω, facile quilibet ex hisce intelliget. Hic autem mihi amplissimus dicendi campus aperiretur; si, quibus annis, quo ordine, qua ratione, quibus denique personis, saluberrimum illud propinandum nectar censerem, rite explicare vellem. Paucis igitur ut multa complectar: *Mathesin* & omnes atque singuli discant, quotquot ludos frequentant, utpote nemini non vtilissimam; & primis annis id facere incipiant, nec unquam postea desinant; & ordine faciant eo, ut nosse res cum nominibus suis, figurasque cum in charta tum in campo describere iuniores asuescant, accuratius singula definire adultiores, plene demonstrare denique adulti; hac vero ratione singuli instituantur, ut non tam res, quam rationes rerum, pro suo quisque captu, parati sint dicere.*

Miserum ludum, in quo hac ratione *mathematica studia* non docentur; magis vero miserum, in quo nulla est *Mathesis*. Id autem si accedat, ut praeterea contemnatur, non satis deploranda miseria est. Peritus id facere nemo potest; indoctus si fecerit, non erit philosophus. Quenam vero tanta est mathematici studii praestantia, ut id tanto opere commendem? *Sola Mathesis plenas perfectasque*, in quibus nec desideretur quidquam, nec errari possit, *habet demonstrationes*. Quas qui ceteris disciplinis tribuere velit; controverfias, quae de iis sunt, cogitet; pugnas cogitet eruditorum & contentiones. Harum quanam, quaeso, alia causa est, quam *demonstrationes imperfectae?*

Etæ? Quae praeceptis Logica, eadem exemplis docet Matheſis. In eo autem nunc viuimus ſeculo, quo in Grammatices ſtudio παραδείγματᾶ in praeceptorum infinitorum locum viri eruditiffimi ſubſtituerunt; idque maximo diſcentium commodo fecerunt. Idem in cogitandi iudicandique arte valet; & eo magis valet, quod nec peccare in eius praecepta poteſt Matheſis; & huic non niſi apertiſſimae ſubiectæ ſunt veritates. Logicis igitur praeceptis in ludis carere plane poſſis, dummodo Matheſis rite excolatur. Poſſis ſane, ſi ita velis; quod tamen vt fiat; autor & ſuaſor nemo facile fuerit. Si tamen dicendum ſit, quod res eſt; cum iuuentutis leuiori damno abeſſe illa poterit, quam Matheſis. Doceri ſane debet poſt Matheſin. Haec lyceis reſtantur; cetera omnia ſuo ſibi iure vendicent Academiae.

Sed haecenus de eloquentiae & diſputandi exercitiis nihil eſt dictum. Quia nempe opus non erat; cum, quid de iis ſentiam, ex ante dictis iam ſatis pateat. Quod ſi quid tamen iis ſit addendum, Caſelius denuo loquatur, non ego. Qui poſtquam eloquentiam, à rebus inanem, praeter loquacitatem nihil habere aſſeruit, ſeueriſſimam hancce, paucis interiectis, ſententiam fert: *Ineptiis & abſurditate ſe ipſos vincunt, qui pueros in arenam diſputantium, vel quaſi in roſtra ad orandum producunt. Pueris enim aetas etiam negauit rerum in oculos incurrentium cognitionem: ſed eiusmodi tamen litterarum deprauatores in populo, & apud imperitos in pretio ſunt: quibus oſtentatione & pollicitationibus facile perſuadent, umbras antepone rebus, cum illarum ne ſomnia quidem dormientes viderint.* At ſi haec quoque ludis exulare iuſſerimus; quos multos nunc habemus aptos oratores ac reſque diſputatores, eos breui nullos habebimus. At circumforaneos fortaſſe non habebimus, qui oratores ſe venditent & diſputatores. Nec ſolatii quidquam ſecus ſententibus peti poterit ex eo, quod vulgo in prouerbio eſt: *Qui nunquam male, is nunquam bene.* Cum enim vix quidquam ſit, de quo excipi nihil poſſit, vel maxime in eorum numero habenda haec regula eſt. Non equidem ignoro, quid poſſit uſus; eadem vero, & maior fortaſſe, abuſus vis erit. Multo enim facilius ſit, vt diſcamus ea, quae neſcimus; quam vt dediſcamus & eam, quae dicere dediſcit, eloquentiam; &



& turbandi res, non autem extricandi easdem, male studiosam disputandi artem. Quid itaque consilii capiendum est, vt dicendi disputandique peritos auditores faciamus? Quod discentes nequeunt, id vero docentes faciant; eaque ratione faciant, qua viros decet, quorum vestigijs discipuli tuto insistant; hos autem audire, non interpellare iubeant. Ita veteres exemplis suis docebant. Et hoc est salutare illud *Pythagoreum silentium*.

Postremo neque in *methodo* docendi nulli proavi nostri fuerunt. Quos enim suum corio vestitos superstites libros habemus, ii, vt alijs multis, ita ipsa quoque instituendi iuniores via atque ratione, palmam praeripere mihi quidem videntur ijs, quos vitulino elegantissime iam ligandos curamus. In *quatuor dialecticorum antiquiorum* vocalibus, quas hodie, qui multum sibi profecisse videntur, negligunt, id est reconditum mysterii, vt, ex *quatuor & sexaginta ratiocinationum formis*, quae componi possint, *bonas verasque non nisi duodecim esse posse*, demonstrare ad oculum vel pueri valeant. Minime igitur erant illa de iuuenum philosophari incipientium manibus extorquenda. Si quem ad ratiocinandi habitum iam perduxerit exercitium, eum eiusmodi adminiculis non amplius indigere, ambabus concedo. An vero, quod ea abiecerint adulti, idcirco puero quoque, qui primum posse ingredi incipit, relinquenda putamus? In multis hunc in modum peccatur. Cum tamen antiquis praestantiora quaedam nostra etiam aetas inuenerit, amplectenda sunt omnino. Sed prouectus sum.

Ad TE igitur, clarissime GEHLI, mea reuertitur oratio. Rem iusto copiosius sum persequutus, de qua TE idem, quod me sentire, quo minus profiter, quid impedit? Maxima enim de sincera eruditione, optimaque iuuenum animos ad eam informandi ratione, inter nos iudiciorum, consiliorum, voluntatum, sine vlla exceptione communitas semper fuit. Non autem solum TE recte sentire, sed etiam omnem in agendo positam virtutem esse, statuere, perspectissimum habeo. Age igitur, sis auditoribus tuis, qui es, huiusce aetatis *Tullius*, Athenaei *Cellensis Facciolatus*, & alter quidam  
Demo-

**Demosthenes.** In hoc vero laborabis, vt tales illorum aliquos, omnes enim non poteris, nec quisquam id potest, qualis tu ipse es, facias. Quibus si in Mathematicum quoque & Philosophiae studio, quo non minus delectaris, ducem de praebueris; eos à TE accipient academiae, quos maxime cupiant. Collega vteris clarissimo *Marcardo*, viro, doctrina, ingenio, omnique officiorum genere insigni; qui est, vt promittere possum, tuas non minus quam suas, coniunctoque tecum studio communes discipulorum res, pro viribus, promoturus. Quare, cum nihil appetentius similium sui, nihil rapacius, quam virtus sit; in vobis apparebit, verum esse, *bonos à bonis diligi*. Equidem perinuitus TE dimitto; quocum, vt animi conspirant, eodem in loco viuere, iisdem delectari studiis, iisdem discipulis consulere, quam fuisset iucundum vtrique nostrum, quam vtile fortasse auditoribus futurum, cum mecum reputo, temperare mihi à moerore vix possum. Sed nostra in potestate haec posita non sunt. Eo TV igitur, quod felix, faustum, fortunatumque sit, & TIBI, & studiosae iuuentuti, & orbi literato, abeas, quo TE vocat humanarum rerum moderator, Deus. Contracta vero nobis amicitia, quod non magis de me TIBI spondere, quam de TE promittere possum, ea erit, quam nullum locorum interuallum queat diuellere, sed quae eundem, quem vtriusque vita, terminum sit habitura. Vale!


Goettinga. XIII. Kal. Ian. MDCCXXXI.



Ad 12  
S







ANDREAE GEORGII  
VVAEHNERI

(ILLVSTRIS GYMNASII GOETTINGENSIS  
CONRECTORIS)

AD

(VIRVM CLARISSIMVM IN PRIMISQVE ERVDITVM)

AVGVSTINVM GABRIELEM  
GEHLIVM

(CELEBERRIMI LVDI CELLENSIS  
NVPER CONRECTOREM FACTVM)

EPISTOLA

IN QVA

DE LVXVRIANTE HVIVS AETATIS  
ERVDITIONE

NONNVLLA DISPVANTVR.

Epiſt. Enchir. Cap. LXVIII:

Μηδαμὲ σεαυτὸν ἔπις Φιλόσοφον, μηδὲ λάλει τοπολὺ ἐν  
ιδιωταῖς περὶ τῶν θεωρημάτων.

GOETTINGAE,  
LITERIS HAGERI, MDCCXXXI.

Ad 12

